



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

De peccatis in vsu matrimonii cap. 2[0]. & 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

in Ecclesia inter missarum solemnia, nisi ex causa dispense Episcopus. *Secundo circa benedictionē, peccant enim sponsi, saltem venialiter, si ante benedictionem matrimonium consumment, debet vero hæc benedictio fieri ab ordinario, vel alio sacerdote de eius licentia: ita ut quiuis alius sacerdos sine illa præsumens illam adhibere, sit ipso iure suspensus quoad ordinario visum fuerit. *Tertio, circa tempus, si contrahant tempore prohibito, quale est ab aduentu ad Epiphaniam, à septuagesima ad Dominicam in albis, siue exclusiue siue inclusiue, pro ratione loci. Quarto ratione indispositionis, nam qui contrahit in peccato mortali peccat mortaliter.

De peccatis in vsu Matrimonii.

Cap. 20. & 21.

IN vsu matrimonii pluribus cōtingit modis coniuges peccare

vt his sequentibus versibus patet

Sit modus & finis sine damno,
solue, cohære.

Sit locus, & tempus, tactus, nec
spernito votum.

In * modo enim peccant coniuges, si contra naturam, vel extra vas naturale copulam habeant, aut feminent. Quando autem femina manet à parte superiori, aut vir à posteriori accedit delectatione tantus allectus, non est mortale, inquit Albertus Mag. & si ob indispositionem fiat, nullum peccatum. * Finis, est peccatum mortale, quando alter coniugum ita ad alterum accedit, ac si coniux non esset. Sine damno, damnum mortale est, quando vir accedit ad uxorem gravidam cum periculo abortus, non autem si ad menstruatam. * Solue, Debitum negans sine rationabili causa, peccat mortaliter, non autem si infirmatur vel damnum timet, aut alter

coniugum sit adulter, aut ante consummatum matrimonium vel ingredi religionem, ad quod iura dant illi duos menses, & quidem si vxor adulterata fuerit, non modo vir non tenetur illi reddere debitum, sed tenetur non reddere, si reddendo illa esset perseueratura, secus verò si non, aut aliud graue damnum timeret, vel nulla esset spes emendationis, vel si ipse etiam adulteratus esset, vel si iam antea cognouisset vxorem fornicariam, vel quando cum potuisset prohibere fornicationem ipsius, id non fecisset, in quibus tribus postremis casibus, tenetur etiam ipse reddere. Tenentur coniuges habitare in eadem domo, & thoro, & quamuis vxore fornicaria existente, vir possit diuortium facere, nunquam tamen soluitur matrimonii vinculum, sicut neque quando alter alteri est occasio peccandi, ita vt non possit se ab illo

berare, vel sit hæreticus aut infidelis, in quo tamen casu potest qui innocens est, se ab alio separare, quod & si militer possunt si ex mutuo consensu voueant castitatem, vel ingrediantur religionem, vel vnus ingrediatur, altero emittente votum perpetuum castitatis.

¶ Sit locus, Locus aptus esse debet ad debitum reddendum, qualis non est sacer, in quo extra periculum incontinentiæ reddere, est mortale. * Tempus, Ratione temporis nunquam fit mortalis matrimonii usus, nec etiam in Paschate Eucharistiam sumpturis, si desit contempus. * Tactus, Extra tempus copulæ habendæ, tactus per se non sunt peccata mortalia, secus tamē si inde timeatur, vel habeatur pollutio.

¶ Nec spernito votum, Si ante matrimonium alter coniugum castitatem vouerat, vel post de consensu alterius: tunc sine Papæ dispensatione copulam petere est mortale, & alter illi potest negare.